

tum des oberen Holzteils nur ein allmähliches Herabbiegen des Rindenteils der Blattspur sowie des Blattes selbst bewirken würde.

Was endlich diejenigen Pflanzen angeht, welche ihre Blätter alle Jahre abwerfen, so wird hier voraussichtlich dasselbe eintreten, was bei den besprochenen Fällen nach Abfall der Blätter anzunehmen ist; es wird also, wo ein längeres rindenläufiges Stück der Blattspur vorhanden ist, diese zweimal zerrissen werden 1) an der Abfallstelle des Blattes und 2) in der Nähe des Cambiums. Ist dagegen das rindenläufige Stück der Spur nur sehr kurz, und bildet sich die Korksicht an der Abfallstelle des Blattes nahe am Holzcyylinder, so werden wir nur ein einmaliges Zerreißen der Spur und zwar an ebendieser Abfallstelle des Blattes erwarten können.

(Fortsetzung folgt.)

### Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio quadragesima tertia. — Exponit W. Nylander.

#### 1. *Collemopsis lygoplaca* Nyl.

Thallus niger tenuis continuus subopacus, tenuissime subcoriaceo-rugulosus, determinatus vel subdeterminatus.

Amélie (Pyren. or.), prope calcifodinam versus Montbolo, super saxa calcarea planiuscula late expansa eaque maculans. Sterilis modo visa et forsán nunquam fertilis.

#### 2. *Collemopsis obtenebrans* Nyl.

Thallus nigricans (vel fusco-nigricans), tenuis, areolato-diffractulus, planiusculus; apothecia pyrenodea minuta, epithecio impresso; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,010 millim., crassit. 0,005—6 millim., epithecium incolor. Iodo gelatina hyemialis vinose fulvescens.

Amélie, super saxa calcarea cum *Lecanora concinerascente*.

Species jam mensuris sporarum distincta. Facies externa fere *Verrucariae nigrescentis* cujusdam quoad thallum.

#### 3. *Collemopsis suffugiens* Nyl.

Thallus vix ullus visibilis; apothecia nigricantia minuta lecanorella (latit. 0,25 millim. vel minora), margine (receptaculo) thallino integro cincta; sporae 16nae—32nae in thecis

saccatis vel (fusiformi-saccatis), ellipsoideae, longit. 0,005—6 millim., crassit. circiter 0,003 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens.

Amélie, super saxa calcarea versus Montbolo, altit. 400 metr. Lamina tenuis apothecii lutescens, praesertim superne. Thecis polysporis facile dignota species.

#### 4. *Lecanora concinerascens* Nyl.

Thallus obscure cinereus, deplanatus, tenuis, areolato-diffractulus; apothecia nigra lecideina plana (latit. 0,25 millim. vel minora), subimmarginata, intus albida; sporae 8nae ellipsoideae placodiomorphae, longit. 0,009—0,011 millim., epithecium obscuratum. Iodo gelatina hymenialis intensive coerulescens.

Supra saxa calcarea prope Amélie, socia *Collemopseos obtenebrantis*.

Species minuta ex affinitate *Lecanorae ferrugineae* et facile prope *L. diphyem* quaerenda, sed spermogonia arthrosterigmatibus munita. Spermata oblongo-bacillaria, longit. 0,003 millim., crassit. circiter 0,0005 millim. Epithecium et epithallus K violaceo-purpurascens.

#### 5. *Lecanora Ameliensis* Nyl.

Thallus (nigrescens tenuissimus forsan alienus) evanescens; apothecia nigra opaca plana marginata, demum convexiuscula immarginata (latit. 0,5—0,8 millim.), intus albida; sporae 8nae incolores placodiomorphae, septo medio saepius non crasso, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,0035—55 millim., paraphyses mediocres, epithecium et perithecium violascenti-fusca. Iodo gelatina hymenialis intensive coerulescens.

Super saxa arenario-calcarea prope Amélie, ad viam versus Montbolo.

Affinis videtur *L. diphyi* Nyl., sporis tenuioribus et variis aliis notis differens. Epithecium inter clavas paraphysum obscure chrysophanice inspersum et perithecium K purpurascens-reagentia.

#### 6. *Lecanora infuscescens* Nyl.

Thallus cinerascens, tenuis vel tenuissimus, subevanescens, inaequalis; apothecia fusca minuta convexiuscula (latit. circiter 0,25 millim.), immarginata, intus albida; sporae 8nae subgloboseae vel breviter ellipsoideae, longit. 0,007—0,010 millim.,

crassit. 0,006—8 millim., paraphyses confusae, epithecium rufo-fuscescens. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvo-rubescens.

Supra corticem mali ad Heidelberg (von Zwackh).

Species esse videtur affinis *L. anoplæ* Nyl., sporis subglobosis facile dignoscenda, sed circa apothecia visae stylosporae frequentes arcuatae (intus globulis oleosis seriatis) utroque apice acuminatae, longit. 0,018—32 millim., crassit. 0,002 millim. (forsan alienae).

### 7. *Lecidea vagula* Nyl.

Thallus macula albida subdeterminata indicatus; apothecia nigra discoidella marginata (latit. 0,25 millim. vel minora), margine obtusulo; sporae 8nae incolores oblongae vel oviformes 1-septatae, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,0035—45 millim., paraphyses crassiusculae, epithecium et hypothecium cum perithecio fusca. Iodo gelatina hymenialis vinose rubescens.

Super saxa calcarea prope Amélie (Pyren. oriental.), altit. circiter 400 metr., socia *Lecanorae calvae* (Dicks.).

Species minuta bene distincta e stirpe *L. scotinae* Krb. et *athallinae* Hepp. Spermata arcuata, longit. 0,016—18 millim., crassit. 0,0006—7 millim. Epithecium, perithecium et hypothecium K violaceo-purpurascens. Clava paraphysum supra subtruncata. Gonidia mediocria inter elementa substrati inspersa.

### 8. *Lecidea modicula* Nyl.

Thallus albidus subgranulosus tenuis aut evanescens; apothecia nigra convexiuscula immarginata (latit. 0,3—0,5 millim.), intus concoloria; sporae 8nae oblongae vel oblongo-ellipsoideae, simplices, longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,0035 millim., thalamium sordide coerulescens, paraphyses non discretae, hypothecium totum (cum perithecio) rufo-fuscescens. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Super saxa micaceo-schistosa „auf der hohen Mut“, Gurgl, in Tyrolia (Arnold, 1878).

Species parum facie externa notabilis. Thallus K leviter flavescens. Apothecia vulgo aggregata. Hypothecium K purpurascens. Spermata leviter arcuata, longit. 0,014—16 millim., crassit. 0,0006 millim. — Esse videtur affinis *L. proluidenti* Nyl., differt vero haec spermatis rectis, longit. 0,006—7 millim., crassit. 0,0005—6 millim. et perithecio obscuriore.

9. *Lecidea subtumidula* Nyl.

Thallus albidus vel cinerascens, tenuis, granulatus, subdispersus; apothecia nigra plana marginata aut demum convexula immarginata (latit. 0,3—0,5 millim.), intus concoloria; sporae 8nae ellipsoideae vel variantes subglobulosae, longit. 0,007—9 millim., crassit. 0,0045—0,0055 millim., epithecium sordide coeruleum, paraphyses discretae crassiusculae apice incrassato coerulescenti-obscurato, hypothecium violaceo-nigrum. Iodo gelatina hymenialis intensive coeruleum.

Super saxa quartzosa in summo Vignemale (altit. 2200—2300 metr.) Pyrenaeorum (Vallot). Etiam in alpidibus Tyroliae, Waldrast (Arnold 1873), super saxa micaceoschistoso-calcareis.

Facile sumi possit pro *L. vorticosa* (Flk.), sed habet apothecia demum convexa, sporas majores, paraphyses crassiores et spermata alia. Haec recta minuta longit. 0,0035 millim., crassit. 0,0007 millim. Hypothecium K violascens.

10. *Lecidea cavatula* Nyl.

Thallus albus vel subcaesius, continuus, tenuissimus vel evanescentis; apothecia nigra innata (calcivora) plana (latit. 0,3—0,4 millim.); sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,017—22 millim., crassit. 0,009—0,012 millim., paraphyses mediocres, epithecium cum thalamio superiore obscure violascens, hypothecium incolor vel leviter lutescens. Iodo gelatina hymenialis bene coeruleum, dein fulvescens.

In Pyrenaeis editissimis, Hourquette d'Ossone (Vallot).

Species forsitan prope *L. petrosam* disponenda, hypothecio recedente. Spermogonia non visa. Color violascens epithecii K magis violascens. Facie fere *L. calcivorae*.

11. *Lecidea aethaleoides* Nyl.

Similis *L. atroalbella* var. *aethaleae* (Ach.), sed thallo K —. Thallus cinereus tenuis areolato-rimosus; apothecia nigra minuta impressa sublecanoroidea; sporae longit. 0,010—16 millim., crassit. 0,006—8 millim., hypothecium fuscum. Medulla I +.

Prope Amélie in Pyrenaeis orientalibus saxis graniticis adnascens.

12. *Thelocarpon intermixtulum* Nyl.

Apothecia in globulis citrinis (diam. 0,1 millim.); sporae oblongae (utroque apice in statu recente globulum oleosum in-

cludentes), longit. circiter 0,003 millim., crassit. 0,001 millim., paraphyses nullae. Iodo thecae cum gelatina hymeniali vinose fulvo-rubescens.

In Hungaria supra gneissum ad Sumjác (Lojka).

Accedit ad *Th. intermediellum*, sed minus et sporis minoribus. Hae facie formaque sicut in *Th. Laureri*. Datur in Arn. L. no. 1082.

### 13. *Verrucaria interfugiens* Nyl.

Thallus cinereo-virescens tenuissimus subevanescent; apothecia pyrenio integre nigro prominulo (latit. circiter 0,1 millim.); sporae 8nae incolores oblongo-fusiformes murali-divisae, longit. 0,0036—45 millim., crassit. 0,012—14 millim. Iodo gelatina hymenialis et sporae vinose fulvescentes.

Super terram sabulosam saxorum las Cascadas supereminentium, altit. 250 metr.

Thallus gonidiosus gonidiis viridibus glomeratis in glomerulis oblongis. Species e stirpe *V. intercedentis* parvula, parum visibilis.

### Observationes.

1. *Collema thysanaeum* Ach., Nyl. in Flora 1883, p. 104, adnascitur saxis granitosis et micaschistosis in Corsica et Gallia meridionali. Orbiculis saepe latit. 10—22 centimentrorum occurrit optime evolutum locis praeruptis subumbrosis super las Cascadas prope Amélie-les-Bains in Pyrenaeis orientalibus. Thallus facie fere sicut in *C. nigrescente*, sed I + (h. e. lamina tenui tum vinose rubescente, quae reactio l. c. errore indicatur nulla).

2. *Cladonia decorticata* f. *frondosula*, thallo podetiis crebre foliosis, apotheciis (etiam variantibus epiphyllis frequentibus. Supra corticem Laricis ad Heidelberg (v. Zwackh).

3. *Lecanora pyracea* f. *submersa*, super saxa rivorum in Hibernia (Larbalestier), in Gallia (Lamy) et ad Heidelberg (von Zwack). Thallus obscuratus tenuis, demum rimuloso-diffractus.

4. Ad *Lecanoram configuratam* Nyl. in Flora 1884, p. 389, omissum addere convenit: Species concinna, affinis *L. saxicolae*, duplo minor, magis adpressa, partibus omnibus minoribus. — Definitiones novarum specierum vulgo datae sine ejusmodi

observationibus comparativis momenti parvi habendae sunt, etiamsi proluxa descriptio simul exponatur.

5. *Lecidea speirodes* Nyl. videtur nova species e stirpe *L. umbonatae* Hepp, accedens ad *L. leuciticam* Flot., sed apotheciis marginatis, margine circumcingente saepe albido-suffuso. Epithecium nigrescens. Hypothecium fuscescens. Sporae longit. 0,008—0,011 millim., crassit. circiter 0,0045 millim. Spermata recta, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,006—7 millim. Thallus medulla iodo reagente. — In Pyrenaeis centralibus, Cirque de Gavarnie, super saxa calcarea (Lamy).

6. Arn. L. n. 1085 „*Ephebe Kernerii*“ Zuk. est *Sirospiphon pulvinatus* Bréb.

7. Arn. L. 1083 „*Leptogium suevicum*“ Arn. est *Pannularia nigra* (Huds.). Determinatio Arnoldiana exemplum singulare sistit inexperientiae analyticae diagnosticaeque. Hypothallus hic discolor, applicatus mox etiam tironem docet, de *Pannaria* vel *Pannularia* agi, nec de ullo Lichene Collemaceo qualicunque.

8. Arn. L. 1041 nomine „*R. atropallidula* Nyl.“ edita, vix sit aliud quam *Lecanora exigua* Ach. ferroso-tincta. In *L. atropallidula* Nyl., quam etiam hoc anno copiosissimam observavi in monte Força-réal Pyrenaeorum orientalium, thallus est albidus laevigatus.

9. *Cladina lacunosa* (Del.). Inter saxa gueissacea prope Kuehthei in Tyrolia (Arnold).

10. *Thelocarpon excavatum* Arn. L. 960. Thallus virescens effusus (anne proprius?): apothecia in globulis citrinis planiusculis vel concaviusculo-lecideoideis minutellis (latit. 0,1 millim. vel vix majoribus); thecae polysporae saccato-cylindraceae, sporae oblongae, longit. 0,005—6 millim., crassit. 0,002—3 millim., paraphyses gracillimae. Iodo thecae coerulescentes, dein mox violaceo-fulvescentes. — Supra saxum arenaceum prope Banz in Jura franconica (Arnold). — Species bene distincta forma collapsa apotheciorum et thecis cylindraeis.

\* *Thelocarpon collapsulum* Nyl. Apothecia in globulis citrinoflavis minutulis (latit. fere 0,1 millim.), supra depressulis; sporae globulosae (diam. fere 0,002 millim.), paraphyses longiusculae non confertae. Iodo thecae vinose fulvescentes. — Super saxum arenarium prope Paneveggio in Tyrolia (Lojka). — Notis datis distinctum, tamen sporae visae forsan non rite evolutae, cur esse possit status *Th. excavatuli* Arn. Datur in Arn. L. n. 1081.

11. Sunt *Thelocarpa* hodie cognita sequentia :

- 1. *Thelocarpon superellum* Nyl. in Flora 1865, p. 261.
- 2. *Th. epibolum* Nyl. L. Lapp. or. p. 188. Huc jungenda est forma: *Th. epiboloides* Nyl. in Flora 1869, p. 84.
- 3. *Th. conoidellum* Nyl. in Flora 1870, p. 37.
- 4. *Th. excavatulum* Arn., Nyl. hic supra Obs. 10. — \* *Th. collapsulum* Nyl. ibidem.
- 5. *Th. epilithellum* Nyl. in Flora 1865, p. 605.
- 6. *Th. impressellum* Nyl. in Flora 1867, p. 179.
- 7. *Th. Laureri* (Flot.) Nyl. in Flora 1865, p. 261.
- 8. *Th. prasinellum* Nyl. in Flora 1881, p. 451, Zw. L. Heidelb. p. 69.
- 9. *Th. interceptum* Nyl. in Flora 1880, p. 391, Zw. L. Heidelb. p. 69.
- 10. *Th. intermediellum* Nyl. in Flora 1865, p. 261.
- 11. *Th. intermixtulum* Nyl. hic supra no. 12<sup>1)</sup>.
- 12.. Hypothallus tres formas praecipuas exhibet:

1<sup>o</sup> hypothallus applicatus, ille qui super substratum applicatur et plus minusve extenditur; 2<sup>o</sup> hypothallus hypophyllus vel exsolutus, qui paginae inferae thalli adnatus cum eaque coalitus a substrato plus minus liberatus observatur; 3<sup>o</sup> hypothallus erectus vel fruticulosus, qui axin chondroideum (solidum aut cavum) sistit apud *Stereocaula*, *Usneas*, *Cladonias*, etc.

13. Lichenes saxicolae, praesertim in Europa meridionali vel in aliis terris calidis, calori submissi sunt maximo verisimiliterque 70<sup>o</sup> C. et amplius saepe ardorem solis tolerant. Lapidem tunc suburentem invenimus. Inde forsitan etiam explicatur, cur *Verrucariae* calcivorae in talibus stationibus obviae frequenter observantur pyreniis permarcidis et desiccatis.

14. Schwendeneristae vel symbiologizantes germinibus Lichenum singularem intelligentiam et perspicacitatem subtilissimam attribuunt, nam illis germinibus inesset, ex eorum opinione, facultas seligendi „algas“ speciales, quas circumerantes invenirent, attraherent et sibi in texturas inducerent, ut gonidia fiant. Quoque Lichene proprium suum habente typo gonidiorum, inde sequitur mira subtilitate et iudicio opus esse ne typus ille solus necessarius cum alio commisceatur nec ejus

---

<sup>1)</sup> Genere separandum *Thelococcum* indicavi in Flora 1873, p. 299. Eo pertinet solum *Th. albidum* Nyl. Pyrenoc. p. 9.



loco admittatur „alga“ alia incongrua. Hocce jam sistit praestantiam exsuperantem, qua ita germina lichenica ornata essent. Sed — „majora canamus“ — Lichen adultus gonidicus facultate diagnostica etiam sublimiore gauderet, nam ille quoque „algam“ suam exquirere sibique arripere apud haud paucas species propositum haberet: non vero „algam“ gonidiomorpham (talem jam possidet), sed algam aliam syngonimicam, ut formentur cephalodia, in quorum textura obveniunt quidem syngonimia quasi systema anatomicum peculiare compositum apud certas species a *Nostoc*, apud alias a *Scytonemate* et apud alias a *Sirosiphone* (Fries fil. in tali historia invenienda et pathologice explicanda sese mire illustravit, quod vid. in Nyl. L. Lapp. or. p. 117). Omnia haec a Lichene cephalodia parturiente sane subtiliter perpendenda et dignoscenda sunt, ne erret selectio. Sic, post primam infantiam, Lichen intelligentiam acutiorem obtinuisse videretur simul cum calliditate incomparabili elementa talia algosa, ut putant symbiologi, sibi subjungendi. Syngonimia necessaria supra terram vel lapidem vagantia tum a tentaculis hyphicis vi magica praeditis Lichenis ibi expansi prehenderentur et intruderentur ubi locus in fabrica cephalodica praedestinatus est. Fabulatores schwendenerici ita rem se habere volunt, licet certe nemo aliquid ejusmodi viderit nec unquam videbit. Sed res adhuc gravior obstat, si explicare ageretur, quomodo ea syngonimia Lichenibus fruticulosus advenirent. Hic enim „algae“ non e proximo, at e longinquo accurrerent insilientes vel per aërem volitantes; omnis alia via, omnis alia ratio deficit! Stereocaula exotica, 5-pollicaris saepe altitudinis, cephalodiis in supera parte fruticuli onusta, nullo alio modo e substrato vel vicinia has „algas“ carpere vel accipere valerent punctis thalli ubi adsunt; nec cephalodia inter se syngonimiose communicantur, nec ullibi syngonimia in thallo stereocaulino visibilia nisi in cephalodiis. Et restat explicatu operatio perdifficilis penetrationis in texturis. Pertinent haec omnia ad hyperschwendenerismum ineptissimum vixque merentur, ut ne quidem recenseantur et castigentur, ita sunt puerilia: proles inexperientiae et imaginationis levissimae; nulla ibi est scientia.

15. Inter fabulatores hodiernos supereminet quodammodo Dominus G. Bonnier, qui sese culturis peregrinis praedicavit symbiosin lichenogenam algae et protonematis musci. Ita etiam ex alga et musco fit Lichen! Creator ille musco-licheni-



cus in le Naturaliste plenam promisit historiam miraculi. Cur non tandem in lucem prodit haec plena historia gloriosa?

16. D. Fuenfstueck nuperrime edidit: Beiträge zur Entwicklungsgeschichte der Lichenen. Etiam ibi inexperientia et ignorantia litteraturae singulares exhibentur. Sic pessimum scriptorem L. Lindsay ut auctoritatem seriam citat p. 15: „Den Angaben in systematischen Werken über diesen Gegenstand kann keine Bedeutung beigemessen werden, weil sie sich wohl zumeist auf die Beobachtungen Lindsay's stützen“ (quis unquam Lindsay innixus est?). Apud „*Nephroma tomentosum* et *laevigatum*“ nulla spermogonia evoluta invenit; tamen talia frequentia sunt apud omnia *Nephromata* et *Nephromia*. Spermata quidem apud *Nephromium tomentosum* (Hoffm.) cum var. *helvetico* (Ach.), *N. subtomentellum* Nyl., *N. isidiosum* Nyl., *N. parile* (Ach.), *N. laevigatum* (Ach.), differentias ad species distinguendas utiles praebent. Quae in Lindsay ‚On the Spermogones‘ generalia obveniunt sumsit in Synopsi mea. Figurae ibi (sicut cetera) sunt tironis rudimenta; spermata cum sterigmatibus male delineata, quod in memoriam vocat Winter Ueber die Gattung *Sphaeromphale*, ubi tab. XVII, fig. 5, dat auctor ea organa, *Sph. fissae*, sed rudissime, perversissime. Talia minime sunt, nec subsimilia, sed figurae verae omnino aliae. Hocce non impedit alium inexpertum scribere de „Polyblastia genere.“ Spermogonia adesse, etsi nondum visa, minime dubito; verisimiliter haud admodum differunt ab iis quae in *Staurothete* invenit cel. Winter“ (Fr. fil. Polybl. p. 10). Est locutio Friesiana haud parum tortuosa et ridicula. Ceteroquin apud eas Verrucarias bene cognitum habeo typum spermogoniorum et proxime notum faciam.

Parisiis, die 20. decembris, 1884.

---

### Anzeige.

Soeben erschien im Selbstverlage:

## Fungi saxonici exsiccati.

Die Pilze Sachsens

gesammelt und herausgegeben von

**W. Krieger,**

Lehrer, Königstein a/Elbe.

I. Fasc. No. 1—50. Preis 8 M.

---

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1885

Band/Volume: [68](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 39-47](#)